

Perillustris et Reverendissime Romine. Magna me laetitia
 affecit D. Bartholomaeus Sanctissimi Domini Nostri Cubicularius, cum
 te ad episcopatum Cracoviensem electum fuisse significavit: spero
 enim id cessurum in magnam Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, te-
 que amplissimum campum habiturum, in quo praeclara dona Spiritus
 Sancti tibi iam dudum collata exercere valeas. Quis novit, an haec
 fuerit causa, cur divina providentia aditum tibi ad Vilnensem epis-
 copatum adire noluerit, ut in occasionem praesentem servareris? Gra-
 tularor igitur tibi de novo isto honoris incremento, sed magis eccl-
 siae Cracoviensi et toti regno Poloniae gratularor. Lator ~~praesentum~~
 est Dominus Henricus Suecus, Eques Hierosolimitanus, mihi olim
 familiariter notus; eum benignitati tuae commendatum cupio, si quaq
 in re apud Regem ope tua indiguerit. Precor Deum, ut dona sua in
 sancta anima tua conservet, et augeat; et ego vicissim a te peto, ut
 memor veteris amicitiae nostrae, me apud Deum precibus tuis iuves.
 Romae etc.

Fuligatti, Epp. famil. XVIII